

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Milicia ac cum fonte primo

Hodie militaris disciplina, quam
Vegecius Renuatus et plerique alii
docuerunt, prorsus euanuit.

Olim se iuramenti uinculo milites
obligabant quod starent pro rei publice
statu, quod in acie non fugerent, et
quod uite proprie utilitatem publicam
prehaberent, sed et hodie enses
suos recipiunt de altari ut profiteantur
se filios ecclesie atque ad honorem
sacerdotii, ad tuitionem pauperum,
ad uindictam malefactorum et patriae
liberationem se gladium accepisse.
Porro in contrarium res uersa est.
Nam ex quo hodie militari cingulo
decorantur, statim insurgunt in christos
Domini et deseuiunt in patrimonium
crucifixi. Spoliant et predantur
subiectos sibi pauperes et
miserabiliter atque immisericorditer
affligunt miseros ut in doloribus alienis
illicitos appetitus et extraordinarias
impleant uoluptates.

Idem (Petrus Blesensis) in epistola.

Militaris hodie disciplina, quam
Vegetius Renuatus ac plerique alii
docuerunt, prorsus euanuit,
et se in quamdam delinquendi
libertatem, et scurrilitatis speciem
deformauit.

Olim se iuramenti vinculo milites
obligabant, quod starent pro reipublicae
statu, quod in acie non fugerent, et
quod uitae propriae utilitatem publicam
praehaberent. Sed et hodie tirones enses
suos recipiunt de altari, ut profiteantur
se filios Ecclesiae, atque ad honorem
sacerdotii, ad tuitionem pauperum,
ad uindictam malefactorum et patriae
liberationem gladium accepisse.
Porro res in contrarium uersa est;
nam ex quo hodie militari cingulo
decorantur, statim insurgunt in christos
Domini, et desaeviunt in patrimonium
Crucifixi. Spoliant et praedantur
subjectos Christi pauperes, et
miserabiliter, atque immisericorditer
affligunt miseros, ut in doloribus alienis
illicitos appetitus et extraordinarias
impleant uoluptates.

Petrus Blesensis, *Epistolae*, 94 (PL 207,
col.294B-C).